

XXXIII. Porro quo alacrius per actiones vere morales ad finem nostrum supremum properamus, eadem proportionem nosmetipsum *vera felicitate dignos* efficimus, cuius appetitus nobis ceu sensualibus naturalis est et necessarius.

XXXIV. Perfecta igitur moralitas atque felicitas moralitati ceu bono absoluto subordinata duo termini sunt, quorum unionem, quamvis sensualiter cognoscere non possimus, cogitare tamen ceu absolute necessariam in mundo intelligibili debemus.

XXXV. Cum ergo perfecta a nobis exigitur moralitas, hæc autem in sua *plenitudine* obtineri non potest; profecto sequitur, ut mundi intelligibilis ad finem sanctitatis proportio in eo consistat, quod continuus nobis et infinitus ad Ideale DIVINITATIS detur accessus; unde stat firma et inconcussa sententia, animas nostras *immortales*, atque in eo statu æternum perduraturas esse, quem moralitas, ad quam destinati sumus, deposcit.

XXXVI. Eodem modo, cum legum moralium et legum mundi physicarum diversa
B pror-